

plurimorum effectus, qui ad Lapidem fulminarem referri
haudquaquam possunt.

§. VI.

Atque ita se habere rem cum Fulmine, sicut exposi-
tum est haecenus, non tantum pulveris pyrii, ex sulphure
& nitro confecti, analogia docet, sed & aliarum senten-
tiarum incommoditates relinquunt. Sunt enim, qui ful-
mina proximè ad D E U M, sunt etiam, qui ad Diabo-
lum referunt. Nos verò quamvis gloriosissimi DEI ma-
num in tempestatibus agnoscamus, quem etiam tot vici-
bus Sacrae paginae fulgurum & tonitruum rectorem prædi-
cant, dicimus tamen, eum hodie in Naturâ nihil immedia-
tè (de ordinariò modò loquor,) producere, sed semper
mediantibus causis naturalibus operari. Sic &, quod ad
dæmonem spectat, valetis utique, cum sit princeps aëris,
vel per se, vel per conjuratos suos Magos, permittente di-
vinò Numine, variè in aëre commovere materiam fulmia-
num & tempestatum aliarum, & in certum aliquem lo-
cum derivare, sæpe cum summò hominum damnò, sicut
ignem immisit in Jobi oves & servos: sed verè tamen pro-
ducere Fulmina & alias tempestates non potest, cum aliàs
sequeretur, eum solis ac stellarum motum sistere, ordinem
universi turbare, & ordinatos à DEO cursus impedire pos-
se, quod sanè ipsius potentiam excedit. Schola Peripate-
tica in reddendis causis fulminis ad halitus calidos & siccos
confugit: quàm miserè verò rem det expeditam, jam pri-
dem accuratiores Physici, & in his maximè viri incompa-
rabiles B. SENNERTUS & B. SPERLINGIUS demon-
strârunt. Cæterùm, Fulmen in Terebrans, Discussans &
Urens dividi, omnes nôrunt, qui primis saltem, quod dici-
tur, labris doctrinam Physicam degustârunt. Sicut & de
mirandis Fulminum effectis latere neminem res potest, qui
NON